



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 104. Gubernatricis Epistola ad Provinciarum Rectores circa hunc
conjuratorum libellum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI. *publica fæderatis Nobilibus data Bruxel-*
A. C. 1566. *lis ab aurei Velleris Equitibus, septimo*
Idus Aprilis anni millesimi quingentesimi
sexagesimi sexti. Proceres, quotquot hic
sumus, jurati per equestris ordinis no-
men, viris a nobilium cœtu delectis, ac
jure, legitimeque in hanc urbem missis,
pollicemur, Ecclesiasticos Quæsitores, ac
reliquos Magistratus ex hoc die non car-
cere, non exilio, non proscriptionibus in
quemquam animadversuros, ob Religionis
causam, nisi ea cum populari seditione,
publicique boni jactura conjuncta sit, cu-
jus tamen criminis non alii præter Fæ-
deratos, Vindices sunt: id vero permis-
sum eis volumus, donec aliter a Rege
assentientibus totius Belgii Ordinibus, de-
cernatur.

§. CIV.

Gubernatricis Epistola ad Provincia-
rum Rectores circa hunc conju-
ratorum libellum.

Enimvero perlecto hoc libello Guber-
 natricis animus turbabatur, ne ergo
 populi impudenti horum conjuratorum
 commento seducerentur, nil cunctan-
 dum rata aurei Velleris Equites con-
 vocat, eisque hunc libellum ostendit,
 quo inspecto affirmarunt Comites Eg-
 montius, & Mansfeldius, qui primi ad-
 vene-

venerant, ab Equitum ordine nihil eo-
 rum, quæ in hoc libello continentur,
 scriptum, dictumve fuisse: Margarita
 vero quantocius de tota rei serie Pro-
 vinciarum Rectores edocet, eo fine, ut
 populum hujus mendacii certio-
 rem redderent: insuper ad eosdem descri-
 ptum transmisit libellum, quem fœde-
 rati obtulerant, unacum adscripta ad
 marginem Gubernatricis responsione,
 studiose admonens, ut iidem, siquid
 præterea vulgaretur a quopiam, com-
 mentum esse seditiosorum hominum pro
 certo habeant: Ut autem magis ad-
 huc publicæ quieti consuleret, Floren-
 tium Momorantium Montinii Baronem
 in Hispaniam ablegabat, qui die decimo
 septimo Junii Madritum veniens a Re-
 ge perbenigne excipiebatur, traditis
 eidem literis, quibus Rex pollicebatur,
 se nulla mora in Flandriam concessu-
 rum, atque Caroli V. Cæsaris Patris
 sui edicta, si nimium austeri forent,
 moderaturum. Huic promisso operis
 constantia defuit: cum igitur id popu-
 lus animadverteret, nihilque benignius
 ab Hispanis sperandum cerneret, aliun-
 de vero haud ignoraret, quod Roma-
 na Curia, & Pontifex speciatim Hispa-
 niæ Regem, ac Gubernatricem urge-
 rent, ut cum omni severitate age-

Hist. Eccles. Tom. XLVII. N n rent

Sæcul. XVI.
 A.C. 1566.

Sæcul. XVI. rent (*) hinc hæretici coactis conven-
A. C. 1566. ticularibus publice ad suorum Ministrorum
 sermones accedebant, ut hac audacia
 suæ factionis sociis animum adderent,
 suis vero hostibus rebellium indies ex-
 crescentium numero terrorem incu-
 terent.

§ CV.

*Publici sermones ab hæreticis con-
 fluente populo habiti.*

Tha. l. 40.
Strada l. c.

Yprensus civitas præ ceteris prima e-
 rat, in qua conciones publice haberi,
 audacter Pontifex calumniis obrui,
 contra Concilium Tridentinum, Inqui-
 sitores, totamque Christi Religionem
 declamari incipiebatur, hæc vero pe-
 tulantia postmodum propagabatur per
 Brabantiam, Geldriam, Frisiam, ac
 per omnes urbes, & campos, ubi un-
 dique ad sacrilegas hæc conciones
 populus primo quidem inermis, postea
 autem ad corporis tutelam gladiis,
 ac postremo sclopetis munitus conflue-
 bat: porro ineunte Mense Junio in
 campo

(*) Hæc apud nullum ex allegatis Scri-
 ptoribus leguntur, sed mere conficta sunt, ut
 sub verosimili prætextu hæreticorum seditio
 in Papæ severitatem, & Inquisitionis rigo-
 rem conjici posset.